



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. V. Prosecutio superioris incoepti ad nostra vsque tempora deducta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

CAP. V.

*Prosecutio superioris incepti ad nostra vsque
tempora deducta.*

Sanguine fundata est Ecclesia, sanguine creuit:

Sanguine succreuit, sanguine finis erit.

Olim etiam illius puniuit peste tyrannos,

Inque dies punit, puniet inque dies.

Euasisse iam me putaueram contagiosum hunc tractum, sed vt video, vix medium attigi, serpit enim mihi calamus ab exemplo in exemplum, vt ipse morbus ab homine in hominem, & de domo in domum. & ecce occurrit infatiabilis illa innocentium Christianorum sanguifuga tyrannorum maximus, Diocletianus, cuius vel solo auditore nomine consummata crudelitatis specimen descriptum tibi puta. nam mox vt à militibus obscuro licet loco natus, ad imperium electus fuit veluti excitato publice classico vnà cum Maximiano tyranno iurauit se Christianos omnino deleturum aut imperium depositurum. quare cum prius exequi non posset, indignabundus ipse & impietatis collega Maximianus eodem die imperium deposuit, quod paulò post hic recipere volens, à Constantino Magno ad laqueum Massiliæ adactus est: Diocletianus verò, lethali & pestifero morbo à Deo vindice immisso absumptus fuit.

Euseb.
Hist. l. 8.
c. 26.

Galerius Maximinus à Maximiano iam dicto adoptatus ei que successor nihilo melior in Christianos extitit, sed inceptam persecutionem acrius persecutus est, at non impunè. Cum enim crudelissima in illos Edicta promulgasset atque columnis & tabulis incidi ea curasset

Hist. l. 9.
c. 6.

per singulas prouincias , aded vt iam secundum illud Christi oraculum (verba Eusebii sunt) etiam electi, si potuisset fieri, his de rebus offendiculo impigissent, sublata quasi ex omnium animis auxiliij expectatione: Ecce inquit propè ex inopinato inter vias dum ministri huius Edicti contra nos promulgati, iter in nonnullis regionibus faciebant, Deus qui est suæ Ecclesiæ constans propugnator, arrogante tyranni contra nos ostentatione panè refrenata & compressa, suum cæleste præsidium nobis benignus præstitit. Imbres igitur & pluuia quæ hyberno tempore fieri consueuerant solitam suam terræ irrigandæ consuetudinem intermiserunt. vnde fames præter omnium expectationem passim grassari, & pestis deinde oberrare coepit. Morbi etiam cuiusdam noui & peregrini (exulceratio quædam erat quæ æstus & feruoris gratiâ, proprio nomine Anthrax, id est, carbunculus nominatur) grauis & violenta impressio , qui per vniuersum corpus pererrans, mortifera his qui eo perturbabantur, iniicit pericula. Ista cum repentè omnia (bellum contra Armenios ex amicis hostes factos interferit) in idem tempus concurrerent , arrogantem audaciam & temerariam contra Deum iactationem tyranni, qui obseruantia suæ in idola collatæ & obsidionis cõtra nos susceptæ causa, nec famem nec pestem nec bellum deniq; suis temporibus accidisse fuisset insolèter gloriatus, perspicuè coarguerunt. Huc vsque Euseb. qui cap. sequenti hæc subdit: Pestis autem omnes domos integras & familias penitus depascebatur; & eos vel maximè quos fames propter alimentorum affluentiam qua fruebantur, consumere & conficere non poterat. Magistratus & præfecti alijque prope infiniti qui cum potestate & imperio erant, omniumq; rerum copia circumfluebant, perinde ac si fames quasi de industria eos missos fecisset, vt peste interirent, acerbissimam
mor-

mortem & maximè repentinam sustinuerunt. Quocirca mors his duobus telis, peste videlicet & fame, hoc modo bellum gerens, vniuersas familias breui temporis spatio absumpsit & depasta est, adeò vt iam conspici licuisset duo aut tria mortuorum corpora ex vnis aedibus pariter ad sepulturam elata. Arrogantis tyranni Maximini ostentationis & decretorum per singulas ciuitates contra nos sancitorum, tale præmium & merces fuit. Quid clarius: quid grauius aut amplius ad rem nostram? Compescuit quidem Maximinus his cladibus admonitus, persecutionem, sed sceleribus totus coopertus miserrimè postea moritur, tyrannus declaratur, nomen vndique abradi-tur, statuæque deiciuntur. Vidimus hæctenus diuinam manum effusi Christiani sanguinis vindicem atque horrenda per illam Gentilibus illata flagella quibus solummodo illorum emendationem & resipiscentiam desiderabat. sed tantum abest vt resipuerint, & à persecutionibus abstinerint; vt è contrà tantorum malorum causam ob contemptum deorum, in Christianos retorquere conati fuerint, & publicis Ediçtis idolorum cultum magis magisque instaurarint. Tantum abest inquit Zonaras, vt gentiles facti sint prudentiores exploratam malorum causam, fuerintque his eruditi, vt potius Christianis acerbius insultarent ipsosque quòd deos contempnerent solito more malorum omnium esse causam iactarent ac procacius exprobrarent. Et rectè, solito more, dicit hic author. nam quæcumque tandem mala Romano Imperio obueniebant, certissimè mox sibi persuadebant, omnia ob spretum à Christianis cultum deorum ab iis immitti, ideoque in illos sæuius insanire, acerbius insilire. & iunctis animis in eisdem conspirare semper studuerunt. ad quæ respiciens Tertull. pulchrè id ipsum illis obijcit: Aduersus sanguinem innocentum conclamant, præterentes sanè

Tomo 2:
in Volu-
fiano.

Apol.
cap. 40.

fanè ad odij defensionem illam quoque vanitatem quod existiment omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi Christianos esse causam. Si Tiberis ascendit in mœnia, si Nilus non descendit in arua, si cælum stetit, si terra mouit, si fames, si lues, statim Christianos ad leonem. Tantos ad vnum? Argumentabatur eodem planè modo olim Clodouæus rex adhuc gentilis, dū ob baptis- mū susceptū instinctu vxoris Clotildis Christianæ femi- næ, primogenitum suum morte abreptum, secundò na- tum morbo affligi cerneret. Verùm falsam illam opinio- nem viri doctissimi doctissimè refutarunt, vt iam citatus Tertull. in apolog. Arnob. in lib. contra gentes, atque inter omnes palmam tulit magnus Augustinus, qui eo fi- ne eruditissimos suos libros de Ciuitate Dei ingenti stu- dio atque solertia elaborauit, in quibus omnigenam suam ostendens scientiam, seipsum superauit. His verò docet longè grauiora damna Romanum populum à suis ciuibus olim accepisse quàm illis Gothi (nam de horum irruptio- ne præcipuè agit) intulerint, & impietate gentilium ta- lia pati commeruisse vrbem, cum è contrà Religionis Christianæ cultu factū sit ne penitus interiret. Sed quod promisimus, vterius prosequamur. Licet iam aureo Constantini sæculo vniuersalis Ecclesiæ tranquillitas ob- tigisset, postea tamen vt nihil in hoc mundo est stabile, sed mutationi omnia sunt subiecta, mutatus & ipse pau- latim tranquillus Ecclesiæ status turbantibus eum tum hæreticis, tum schismaticis Imperatoribus alijsque impijs ac sacrilegis principibus. Sed vltus est iterum & suę spon- sæ & feruorum suorum iniurias Deus. Exemplo nobis exemplo suo erit crudelissimus tyrannus Hunnericus Wandalorum rex Arianus, qui postquam in Africa diris- simam in Catholicos persecutionem excitasset, vnaque die vniuersas eorum Ecclesias occludi iussisset ac grauif-
simis

fimis tormentis omnes promiscuè subiecisset relegatis Victor. l. 2.
 in diuersa loca ad excolendos agros, ligna cædenda alia-
 que id genus vilia ac dura opera exercenda Episcopis to-
 toque Clero Carthaginensi ad quingentos & amplius,
 cæde inediaq; maceratis, fames incredibilis sæuissimaq;
 pestis statim subsecuta est quæ in vltionem offensæ diui-
 nitatis totam Africam vna depopulatione vastarunt, vt
 planè inquit ipsa elementa pro læsione factoris sui cla-
 mare viderentur. quorum consideratione & eorum quæ
 essent ante oculos inspectione idem Victor confessor in-
 star Ieremiæ seorsum positus lugubres threnos flebili
 voce crebris interrupta suspirijs dolens ac moerens occi-
 nit. En collige tibi fructus ex semine quod in sulcis im-
 pietatis seminavit hæresis. vt planè secundū illud Euan-
 gelij: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos; non nisi ex inferis &* Math. 7.
*Satanæ regione dixeris prodire radicem quæ in tot ger-
 mina maledictionis & desolationis excrescit. Cæterum
 qui dispergit superbos in furore suo & respiciens omnem
 arrogantem humiliat, excitatus tamquam dormiens Do-* Tob. 40.
*minus vermibus tradidit consumendum eum qui robu-
 storum militum agminibus vallabatur Hunnericum. hoc* anno 484.
 enim eodem anno cum de prostata fide Catholicâ amens
 putaret parandum sibi triumphum, diuinam cogitur ex-
 periri vindictam, & instar Antiochi, Herodis, Maximini
 vermibus vlticibus consumptus secundum antiquam il-
 lam prædictionem fortissimæ Judith: *Væ genti insurgenti* cap. 13.
*super genus meum. Dominus enim omnipotens vindicabit in eis,
 in die iudicij visitabit illos. dabit enim ignem (& hic pestis est)
 & vermes in carnes eorum, vt urantur & sentiant usque in sem-
 pitemum. Scilicet gloria eius sumtus & vermis est.* 1. Mach. 20.

Cum Alemanni ductore Leuthare anno 555. Italiam
 inuasissent & sine vlllo delectu summa impietate templa
 omnia spoliarent, sacra vasa ex auro & argento pretiosa

Agathias
l. 2. Hist.
& ex Bar.
anno 555.

totamque diuinam supellectilem diriperent, quin & ipsas
urnas seu tumbas quibus templorum structores conde-
bantur effringerent, pauimenta templorum cruore fœ-
dantes cum mortuos insepultos disijcerent, subito diui-
na ira sacrilegos inuasit; quandoquidem partim bello,
partim morbo interierint ita ut eorum nemo quidpiam
ex pristina rapiendi spe sit consecutus. pestilens enim
morbus cum de repente hos obruisset multitudinem ma-
ximam absuuebat, alijs eius mali originem in vitiatum
aërem, alijs in mutationem vitæ referentibus; quando-
quidem ex assidua belli exercitatione longisque itineri-
bus ad otium & delicias diuertissent. Sed morbi princi-
pium & calamitatis necessitatem non admodum perno-
scebant, inquit author: iniustitia namque & rebus sacris
humanisque legibus illata iniuria exitij causa his fuere.
cui rei vel Princeps ipse argumento sat fuit, quem ex Deo
ingesta supplicia diuexabant qui totus in amentiam &
furorem versus, horribiles eiulatus quotidie edebat, eo-
que vesaniæ proruperat ut vel propria membra desquien-
do gustaret. brachijs siquidem ubi iam mordicus inhe-
sisset dentibus carne dilacerata, in feræ bestię morem his
vescebatur, defluentemque lingebat cruorem. Sic de-
mum suo exfatiatus & paulatim deperditus, miserrime ex
humanis discessit. Ceteri verò passim moriebantur nihil
penitus pestifero morbo remittente quousque tandem
vniuersi interiëre. ita ferè Agathias.

Sed ecce tibi aliud ex Oriente. Spurcissimus Impera-
tor Constantinus ab egesto in baptismo stercore futuræ
impietatis augurio Copronymus dictus, hostile bellum
sacris sanctorum imaginibus indixerat, ubique eas per
mandata sua disturbando & iuramentum ab omnibus
aduersus easdem & monachos (quos cum monialibus in
forum conuocatos in mutuam matrimonij fidem iurare
sub

sub pœna mortis cogebat) exigendo. Sed anteceden-
tem scelestum non deseruit pede pœna claudo, exurrexit
siquidem pro seruis suis ultor Dominus; nam à quarta
die Augusti vsque ad Octobris Kalendas factæ sunt te-
nebræ caliginosæ, quas secuti sunt terræ motus prodigi-
osi, & pestis ingens, Bubonis dicta, è Calabrio & Si-
cilia orta est, quæ Constantinopolim adueniens, ita eam
per tres annos depasta est vt pænè desertam reddiderit,
& cum repleta cadaueribus fuissent omnia monumenta,
lacus, vineæ, horti, vix superesset locus vbi mortui se-
pelirentur. Eâ verò qui moriebantur, primò in ipsorum
vestimentis cruciculæ inuisibiliter imprimebantur, mox-
que lue tacti vitam finiebant, cum & insuper quamplu-
rimi multis spectris & phantasmatibus miserabiliter ve-
xarentur, vt apertè cerneretur has à Deo clades immissas
esse, vt homines à peccatis reuocarentur, ipseq; imprimis
impius Constantinus his admonitus à blasphemijs suis ab-
stineret. Flagellabat, inquit Studita, Deus impium Con-
stantinum Copronymum & cohibere nitebatur ab insania
quam aduersus sanctas Ecclesias & venerabiles sancto-
rum imagines impiè intentabat. A sacrilego illo Edicto
Imperatorem ad meliorem frugem reuocare nitebatur:
verum ille vt Pharaon quondam datus in sensum repro-
bum, obduratus permansit; donec tandem diuinitus in
cruribus plaga percussus, animæ & corporis mortem ob-
ijt, vociferans, se adhuc viuum inextinguibili igni tradi-
tum propter Mariam, iubensque eam exinde honorari
tamquam sanctam virginem ac verè Deiparam.

Theoph.
& Theod.
Studita
anno 746.

Baron.
anno 775.

Sed ad recentiora & propinquiora veniamus. Henricus
eius nominis tertius dictus Imper. iuratus Gregorij VII.
Pontificis aduersarius, postquam an. 1081. Rom. Ecclesiam
grauissima persecutione vexasset (quæ quidè adeò horren-
da fuit tam aduersus personas quam loca sacra profanaq;

Baron.
an. 1081.

Romam
inuadens.

vt fortasse omnes quęcumque à schismaticis vel hæreticis in Rom. Ecclesiam motę fuerint, superauerit) Guibertum antipapam hæresiarcham suum apud S. Petrum anno 1083. inthronizauit, & ipse anno sequenti ab eodem coronam non glorię sed confusionis accepit; quippe talis coronator non benedictionem quam perdidit, sed damnationem quam habuit, suo coronato imposuit, inquit Bertholdus rerum præsentium inspector. post hæc autem diuina vindicta aded in exercitum Henrici regis grassata fuit, vt ingruente pestilentia ne vnus quidem militum eius quos Romę in præsidio constituerat, superstes remanserit. Ipse postmodum ex insperato, morte repentina mulctatus obiit, nullius Christiani dolore, sed omnium vbiuis Christianorum infinito cum tripudio, quippe quibus ille summę execrationi esset, inquit noster Abbas Urspergensis, tamquam archipirata, hæresiarcha & apostata ac persecutor plus animarum quam corporum, nec non eatenus inauditorum, adeoque incredibilium scelerum author atque inuentor. Hęc de illo noster Urspergensis omnium inspector.

an. 1167.

Pestilente flagellato sapiens erit cautior, monet sapientium omnium sapientissimus Salomon. Non obaudiuit monitioni huic Fridericus Ænobarbus ex Sueuorum Duce rex Germaniæ & Rom. ac postea ab Hadriano Papa coronatus Imp. de quo ita Baronius: Sed quoniam in omnibus actibus suis omnipotentis Dei & B. Petri mansuetudinem & patientiam sicut homo qui non posuit Deum adiutorem suum, sed præualuit in multitudine diuitiarum suarum, non cognouit, iratus est Dominus in eum cum B. Petro cuius Ecclesiam incendere Dei timore postposito non abhorruit, immisitque in eum tantam subitanę mortis pestilentiam, vt infra septem dierum spatium fere vniuersi maiores ipsius Principes qui secum

secum Ecclesiæ aduersabantur subitanea morte corruerent & miserabiliter morerentur enumeratisque famosioribus qui ea peste obierant, subdit: Reliqui quoque barones & milites ac cetera pugnatorum maxima multitudo cum languerent & nullum sanitatis possent remedium inuenire, spiritum miserabiliter exhalabant quorum cadauera usquequaque inhumata iacebant. Quid plura? tantus subitaneæ mortis timor vniuersos inuaserat ut beatum se crederet qui quomodocumque ex castris posset exire & ad propria confugium facere. Tum idem Fridericus Imp. diuina se manu percussum intelligens, cum Romanis utcumque composuit & non sine magna confusione recessit: mortalitatis tamen pestilentia ipsum sequebatur & quo ulterius procedere conabatur, eò maiorem mortuorum stragem cum mœstitia relinquere cogebatur. sed quod valde erat mirabile, neque recordatio tantorum malorum quæ ab infantia sua crudeliter exercuerat, neque recentia flagella sibi à Deo & B. Petro illata duritiam & feritatem cordis illius emolliuerunt neque ad bonum conuerterunt, quippe quod ipsius natura ad malum ab adolescentia sua prona, semper in idipsum procliuior est inuenta. ita ex actis Alexandri Papæ III. Card. Baron. Quæ omnia ipse Imp. statim reapse comprobauit. nam ab idolo suo antipapa Guidone quem contra Alexandrum legitimum Pontificem erexerat, Romam reuocatus, Ecclesiam B. Virginis cum pretiosissima eius ex auro statua, cui similem tota Italia non viderat, incendit & dissipauit, coëgitque ciues Romanos potentia militum subactos ad iuramentum fidelitatis sibi præstandum. at planè accidit secundum Psalmo-graphum: *Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros Libani: transiit & ecce non erat.* nam interea dum hæc Romæ agerentur, quædam maxima rursus ac mortalis pestilentia

stilentia super Imper. eiusq; exercitum totum diuinitus
 accidit. sequenti namque die cum maxima coeli sereni-
 tas esset, statim quasi in ictu oculi mirabiliter pluere cœ-
 pit: deinde post aquam serenitas magna & clara nimis fa-
 cta est, statimque infirmitas super Imperatoris exercitum
 talis excreuit quod equites & pedites atque scutiferi ita
 corruerent & morerentur quod vix per totum diem se-
 peliri potuerint. qui autem in mane sani per viam ambu-
 labant, statim per viam eundo vel parum iacendo morie-
 bantur. Imperator autem videns gentem suam strage
 corruere, relictis multis infirmis, Romam deseruit, atque
 antequam Lombardiam attingeret plures duobus milli-
 bus ex his qui secum fuerant in itinere, gladio solummo-
 do Dei perire. Qui autem mortem vincere potuerunt,
 omnes infirmati vsque ad necem tandem tonso capite
 vix euadere potuerunt; tamen qui euaserant, per totam
 hyemem omni colore perduto, passi sunt. Hic fuit tragi-
 cus casus perfidi Imperat. semper in deterius prolabentis
 cum contra Rom. Ecclesiam se erigere laborauit, qui iam
 videbatur de vrbe & orbe & vniuersali Ecclesia trium-
 phare. *Ecce homo qui non posuit Deum adiutorē suum.* sed con-
 fusus in potentia sua, defecit in vanitate sua. ita de fasti-
 gio Rom. Imperij ob Ecclesiæ persecutionem in miseras
 & ignominiam miser, sed nulli miserabilis corruit, ad glo-
 riam eius qui solus pro arbitrio suo regna & imperia
 transfert, erigit quas vult, & deijcit potestates. Sed nec
 sic depressus destitit ab insania nouus Pharao. nam quasi
 torris raptus de incendio, inquit Saresberiensis, licet con-
 fusus ab vrbe recesserit, & licet fœtor cadaverum à ca-
 stris in nares eius ascenderit, Domino manum suam ex-
 tendente super eum, nondum tamen voluit agnoscere &
 confiteri creatorem suum. Verum non nisi grauissimo sui
 ipsius damno; infelici enim & ipse morte postea sublatu-
 est

Psalm. 51.

J. 1. Epist.
238.

est aquis rapidissimis absorptus: quod infortunium, inquit Neubrigensis, ad illam nonnulli culpam reuocarunt quòd diurno iniquissimoque bello inceserit Rom. Eccle- 1.4. c. 23. siam. hocque peccatum tale fuisse vt inter delitias Imperiales vix potuerit expiari, atque idè oportuerit, ne æternaliter puniretur, piâ diuinitatis prouisione in hac vita seuerius castigari.

Quid verò Eduardo regi Angliæ anno 1314. diuinitus acciderit, ita refert Bzouius in suis annalibus. Quod verò rem Ecclesiasticam Eduardus violasset, vltionem aliam diuinam (nam de grauissimis angustijs in quas tumultuantibus Anglis & Scottis redactus erat, prius egerat) in se hoc ipso anno prouocauit. annum enim hunc insignis pestis & fames nobilitauit, cuiusmodi nemo vel prolixissimæ ætatis fuisset, antea suo tempore contigisse poterat meminisse. Continui & importuni imbres non modò segetem omnem sed & herbas omnes quas humus suppeditat ita corruerant vt & animalia passim tetraluem pestemq; vnde confertim obiere, contraherent: quæcumq; verò superfuere, humanis corporibus incommoda & noxia fuerunt. Qui fortè propter maleficia in carceres trudebantur in eos reliqui inclusi statim irruebant & semiuiuos deuorabant: multi alienos liberos ad famem depellendam intercipiebant, neq; à proprijs etiam natis sibi temperabant. Hinc funera hominum adeò cumulabantur vt viui mortuorū corporibus vix sufficerent recõdendis. Lues autem illa animalium que boues maximè infestabat, adeò fuit pestifera vt canes atque corui qui in huiusmodi fortè cadauera incidissent & ex illis quidquã comedissent, quasi ex veneno occumberent. sic Deus iniuriam Ecclesię suę illatã vindicauit. at rex licet ipse prædictã pestem euasisset, nō tamen insequentem Dei dextrã. nam postea à propria vxore Isabella capitur, regno ex-

authoratur & in varios carceres detrusus à custodibus suffocatur. Sed ad generaliorem plagam & non vnam prouinciam, sed varia regna flagellantem veniamus. Anno proximè insequenti scilicet 1515. Cometam horrendum qui anno superiori præfulserat, fames & pestis horribilis in Alemannia, Brabantia & eadem Anglia sublecuta est. post Kalend. Maias orta pluuia durauit plus minus menses decem in Brabantia & reliqua Germania, ex qua intemperie cùm in agris neque frumentum neq; alia homini & pecudibus necessaria maturescere possent, summa omnium rerum caritate coeptum est laborari. mendici in vijs & in portis pro templorum foribus animam præ inedia efflabant. hanc annonam secuta est tantæ pestilentia vastitas, vt quotidie in singulis fere oppidis sexageni septuagenive efferrentur, quorum alij sexta die, alii tertia, multi secunda, nonnulli statim in ipso morbi aduentu extinguebantur. multitudo omnis perterrita in montes, siluas & loca deuia fugiens, vacuis errabat in agris: alij in templis diuorum aris affixi diuinam implorabant opem. Hic filios, ille parentes lugebat ademptos, alius fratrem, alius sororem desiderabat. Explicari oratione non potest quanta fuerit eius temporis calamitas, qui gemitus, quæ lamentationes nocturnæ diurnæque, vt inquit Barlandus in Annal. Fland. l. 11. At vnde mala isthæc omnia? Respondet Bzouius: Eam calamitatem accidisse Germaniæ existimo in vltionem imprimis cædis iniustissimæ & crudelissimæ Burchardi Archiepiscopi Magdeburgensis, deinde hæreticorum vbiq; grassantium. Archiepiscopum enim prædictum pro iuribus Ecclesiæ certantem captiuarunt, pessimè habuerunt, ac tandem præacutis clauis cõfixerunt. Sed non impunè: ab omnibus enim circumuicinis Catholicis Principibus armata dextra exagitati sunt & persecutiones passi, mercedem

dem malorum operum recipientes. Deficiet me dies & calamus si continuo filo per quæque sæcula hanc telam texere progrediar. quare consultò eam hic incidone Lectori meo fastidium generem: humanus enim animus instar oculi si diutiùs eidem obiecto inhæreat, lassatur, caligat & hebescit. Ad nostratia itaq; & quæ omnes vel vidimus vel certis nuntijs superioribus hisce annis audivimus, festinarem: sed quia cunctis obuia & plusquam notissima, ad seipsum Lectorem remitto. Nouerit interim virgam illam diuinæ iustitiæ quam vidit Propheta in huiusmodi sacrilegos persecutores vigilare.

CAP. VI.

Non semper ob peccata morbi & pestilentia à Deo immittuntur, sed alijs sæpè de causis.

ERror amicorum Iob hic fuit, omnem calamitosam tribulationem, adeoque morbos & pestilentiam, cuius species erat foedissima illa lepra qua sanctus Propheta à capite vsque ad calcem percussus fuit, propter peccata tribulatorū à Deo immitti, quod & ipsi ob sua delicta contigisse exprobrabant. idè calumniosè ad eum Eliphaz Themanites: *Recordare, obsecro te, quis unquam innocens perijt, aut quando recti delati sunt? Quin potius* ^{cap. 4.} *vidi eos qui operantur iniquitatem & seminant dolores & metunt eos, flante Deo perijisse & spiritu ire eius esse consumptos. Sed errasse malè fundatos homines Spiritus sanctus aperte testatur dum de cæcitate Tobia Deum timentis ita loquitur: Hanc autem tentationem idè permisit Dominus eue-*

G

nire